



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

179. fer. 5. de Sacrificio incruento.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

316 *Feria 5. In Festo Corp. Christi.*

pernaturale gratiæ, gloriæ, unionis hypostaticæ. Concludam meditationem ut Feria 2. Considerat. 3.

MEDITATIO CLXXIX.

*Feria 5. In Festo Corporis Christi.*

*De Sacrificio incruento.*

**V**idebo Dominum in cœnaculo Montis Sion Sacrificium incruentum instituentem, & se nobis quasi comminuentē, ad vescendum. Petam illud intelligere, & eo dignè frui.

*Conf. 1.* Quomodo Missa sit Sacrificium: quia, quod fecit Christus in cœna, id agunt Sacerdotes, sed Christus sacrificavit: Quia Sacerdoti debet respondere hostia, Christus erat Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Psalm. 109. qui obtulit panem, & vinum. Est igitur hic Sacerdos, res oblata, Deus, cui offertur, Fideles, pro quibus offertur, & ipsa oblatio: ubi autem hæc quinque sunt, ibi est sacrificium. Gaudebo Deum honorari sacrificio perenni, non permansione Christi in Cruce, nec ut redivivus identidem patiatur, sed per Sacramentum Altaris.

*Conf. 2.* Excellentias huius sacrificij. 1. Ab offerente, qui Principalis est Christus, summus & æternus Sacerdos, verus DEVS. 2. Ab oblatione, quæ est Corporis & Sanguinis

*Feria 5. In Festo Corp. Christi. 317*

guinis Domini veri DEI. 3. A modo: quia sub speciebus panis & vini offertur, quibus repræsentatur Sacrificium cruentum in Cruce.

*Cons. 3. Fructus tanti Sacrificij esse. 1. Digne Deum laudare, sicut oportet. 2. Memoria oblationis cruentæ. 3. Meritorum Christi participatio. 1. Ex virtute Sacrificij, juxta Christi promissa non fallentia. Putatur hic fructus esse remissio pœnarum duplex: Una in Sacerdote, & altera in ijs, pro quibus orat, præsertim qui adstant sine peccato mortali, aliàs hunc effectum non consequuntur: juxta illud S. Ambr. in cap. 9. Luc. Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit antè sanatus. 2. Fit participatio meritorum Christi per modum impetrationis, juxta majorem cuiusque dispositionem. Examinabo hic verba Chrysost. hom. 60. ad pop. & lib. 6. de Sacerdot. Considera, quales manus illas administrantes esse oporteat, quovis solari radio splendidiore; qualem linguam, qua Verba illa effundat, qua tremendo nimis sanguine rubescit? Quæ denique re non puriorem sanctioremque esse conveniat animam, qua tantum illum Spiritum receperit? per id tempus & Angeli Sacerdoti assistent, & celestium potestatum universus ordo clamores excitat, & locus Altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Petam à Diva, Filio, & Patre,*

318 *Feria 6. post Fest. Corp. Christi.*

ut dignè accedere merear ad hanc mensam,  
ad quam, qui accedit, *duoitur in divini status*  
*puritatem*, inquit S. Dionysius Areopag. de  
Eccles. Hier. cap. 3.

MEDITATIO CLXXX.

*Feria 6. post Fest. Corporis Christi.*

*Septem Miracula in Venerabili.*

**A**spiciam SS. Eucharistiam, de qua ita  
loquitur D. Chrysostr. Hom. 35. in Joan.  
*Hoc Sacramentum est lapis, super quem septem*  
*oculi, id est, Angeli aspiciunt, pulchritudinem*  
*ejus admirantes. Petam intelligere & revereri*  
*Miracula hujus convivij.*

*Conf. 1. Septē prodigia, quæ in Consecra-*  
*tione patrantur. 1. Quod cælum & DEVS*  
*obediat voci hominis, indifferens ad con-*  
*currendum, quoties, quando, & ubi voluerit*  
*Sacerdos, etiam malus, etiam malâ inten-*  
*tione Verba sacra proferens. Orabo, & di-*  
*cam: O JESU, abstrahe cor meum ab omni*  
*eo, quod sub Sole est extra Te, & atrahe*  
*illud ad Te, ut paratum sit ad omnem nu-*  
*tum, & gustum tuum.*

2. Est conversio, seu transsubstantiatio  
panis in Corpus, vini in Sanguinem Domini  
orabo, & dicam: O JESU, converte me ex  
toto ad Te, ut vivam ego, jam non ego, sed  
Tu in me, & ego in Te.

3. Accio